

Sibi imputet, cur tantam dederit vel acceperit Arrham. Etiam in aliis levioribus negotiis pœna conventionalis dote major esse potest; vid. *l. 37. pr. & §. 1. l. 56. pr. ff. de Eviçt.* Consentit Paul. de Castro, *ad d. l. Titia. 134. pr. ff. de U. O. n. 4.* Et quod quantitas Arrhæ dotis quantitatem excedere possit, defendit etiam Trentacinq. *d. Resol. 2. num. 28.* ubi refert, contrariam Bartoli sententiam communiter reprobari, de quo etiam testatur Bertazol. *tr. Claus. 31. gl. num. 2.* Cæterum si in certo loco consuetudine vel statuto certa Arrharum quantitas est definita, uti de patria sua Borbonensii in Francia testatur Franis. Marc. *part. 1. decis. Parlam. Delphinat. quæst. 748. num. 7. in fin.* illa merito est observanda. *l. 32. de LL.* Sic etiam in hoc Ducatu Würtembergico certa quantitas Arrharum, quæ famulis & ancillis dari solent, desß Haffegelds/ so man Knächten vnd Mägden gibt/ est determinata, quam subditi excedere prohibentur In der Tax-Ordnung.

CAPUT VII.

De

Forma & Fine.

LXVII.

Sequitur Forma & Differentia specifica, qua hic actus, ab aliis similibus distinguitur; quæque maxima ex parte a Fine dependet & est datio evidentioris probationis gratia facta. Primo itaque ratione Formæ requiritur Rei traditio, *pr. Inst. de Empt. & vend. l. 35. ff. de contrah. empt. & vend. l. 3. l. 5. C. de spons.* sine qua Arrha proprie non dicitur constituta; quippe quæ non fit verbis, sed ipsius rei præstatione. *dd. ll. Bartol. ad l. 134. pr. de U. O. n. 6. Alber. Gentil. tr. de Nupt. c. 16. p. 343. Sanchez. tr. de matr. lib. 1. disp. 35. Gutierrez. tr. de matr. c. 18. n. 2.* Neq; his adversatur *l. f. C. ad L. Falcid.* ex qua Dd. concludunt, paria esse promittere & dare. Nam hæc propositio non est universalis, & imprimis in
illis